

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO POLITICA

De

OBLIGATIONE

LEGUM CIVILIUUM,

Quam

Indultu Amplisfimi Philosophorum Ordinis

MODERATORE

M. JOHANNES *Schmid*

Collegii B. Mariæ Virginis Collegiatio,

PUBLICAE DISQUISITIONI

in

ACADEMIA LIPSIENSI

A. O. R. clō 10c LXXIX. d. 31. Decembr.

H. L. Q. G.

submittit

CHRISTIANUS OSTVVALDUS,

Berolinensis,

Philos. & SS. Theol. Studiosus.

LITERIS SPÖRELIANIS.

1679, 12
18



VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, CONSULTISSIMIS, PRUDEN-
TISSIMIS

DNN. DNN.

CONSULIBUS,
SYNDICO,
CAMERARIIS,

ut &

RELIQVIS OMNIUM ORDINUM INCLU-
TÆ REIPUBLICÆ BEROLINENSIS

SENATORIBUS

GRAVISSIMIS,

PATRIBUS PATRIÆ MERITISSIMIS;

DOMINIS, PATRONIS, FAUTORIBUS
OPTUMIS, MAXIMIS, ÆTERNUMQ;
SUSPICIENDIS,

HOC SPECIMEN ACADEMICUM

in

Devotissimæ mentis submissionem

ut &

Grati Animi Testimonium

Do, Dico, DEDICO,

CHRISTIANUS OSTWALDUS, Berl.
SS. Theol. ac Phil. Stud.



J. A.

Vinculum communis & societatis & salutis
Leges sunt. Non Naturales solum, verum
& Civiles. Neque enim sufficere omnino
Leges Naturæ possunt ad omnes, quæ inter
homines accidunt, lites decidendas, aut si
maximè possint, multa tamen è Naturæ Principiis ita ob-
scure fluunt, ut facile sit improbis ad ea excipere. Huic igitur
defectui Leges Civiles succurrunt, quibus & ea, quæ il-
lic obscurius traduntur, explicantur, ac silentium improbo-
rum nefariis argutiis ponitur. Verum, ut hunc ipsum conse-
quantur finem, alio perficitur Vinculo, quod ab ipsis Le-
gislatoribus eorumque autoritate in leges profectum subdi-
torum animos vinciat, atque ad legum observantiam trahat.
Obligationem illud solemus appellare; quam si à Legibus
sustuleris, ipsam earum animam tolles. Sicut autem corpus
exanime est ineptum ad actiones suas obeundas, ita leges o-
tiosæ erunt & frustraneæ, si obligandi vi destituantur. Quod
quamvis de omni lege verum sit, imprimis tamen de Civili
disquisitionem accuratorem meretur. Etenim cum ab
hominum jussibus pendeat, meritò & unde vis hæc ipsius
vel invito in officio continens, & qualis sit, & quæ ad eam
requirantur, & si quid fortè sit porro dubium, expediri pro-
fecto operæ pretium erit. Nec diffitemur alios hinc com-
plurimos vires suas intendisse, ita tamen, ut nec nobis o-
mnis aliqua submonendi occasio fuerit erepta. Quam-
obrem bono cum Deo propositum nostrum
persequamur!

A 2

§. I. Præ-

PRætermisâ (a) Etymologias evolutione, quid LL. Civilium, quid obligationis nomine nobis veniat, breviter proponamus.

(a) Unde vox Legis originem ducat, pluribus pertractant *Meisnerus tract. de LL. lib. 1. q. 1. p. 5. seq. Heereboord Dissp. select. volum. 1. disp. 39. thes. 2. p. m. 149. Sanderson de oblig. Conscientie prælect. 5. num. 3. p. m. 198. sq.*

§. 2. Per legem Civilem non intelligimus tantum Civitatis Romane antiquam legem, quæ, teste (b) *Hobbesio*, legis Civilis nomine in Civitatibus Romane Reipublicæ olim subjectis, plerumque insigniebatur: nec eam saltim intellectam volumus, quæ ratione originis talis est, & describitur à (c) *Pufendorffio*, quod sit ea, quæ unice à voluntate summe potestatis civilis profecta est, ac circa illa versatur, quæ per Jus Naturale ac divinum indifferentia sunt relicta, ad peculiarem tamen Civitatis utilitatem faciunt; sed etiam legem autoritatis respectu talem, legem nimirum, cui à Principe autoritas addita est, & juxta quam in foro Civili jus dicitur, ex quacunque demum origine permanet. Clarius etiam, [& quidem ad ductum ejusdem (d) *Pufendorffii* legem in genere definiens] sic eam describere possumus: Lex Civilis est decretum, quo potestas summa Civilis sibi subjectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat.

(a) *Hobbesius de Civitate c. 26. p. 128. f.* (c) *Pufendorff. de J. N. & G. lib. 8. c. 1. §. 1. p. 1018. 1019.* (d) *Pufend. ibid. lib. 1. c. 6. §. 4. p. 81. conf. ejusdem Elementa Jurispr. Univ. lib. 1. defn. 13. p. 248. & de Officio Hominis lib. 1. cap. 2. §. 2. p. 19.*

§. 3. Obligationem in genere cum (e) *Maresio* describimus: Obligatio est vinculum morale, quo quis tenetur ad aliquid præstandum vel omittendum. Prætermittunt aliqui vocem ad omittendum, uti *Juris-Consulti* passim; Vide (f) *Lauterbachium*: quia, ubi quis ad aliquid præstandum tenetur, ibi simul ad intermittendum contrarium teneri videatur. Confer (g) *Becmanum*. Verum nos distingvimus inter id, quod formaliter, & id, quod virtualiter & per consequentiam in aliquo continetur. Concedimus in actu positivo posse negativum virtualiter implicari, quod verò hic in illo formaliter contineatur, negamus. Majoris igitur perspicuitatis gratiâ vocem illam, omittere, in descriptione Obligationis adjecimus, reipsâ à *Dnn. Jure-Consultis* haud dissentientes. Addunt aliqui vel ad patiendum aliquid, ut (h) *Pufendorffius*; Verum hi iterum

rum à nobis parum differunt. Illi enim; omne illud quod cum Obligatione quocunq; modo, etiam per accidens & secundum quid cohereret, respexerunt, nos cum Maresio illud tantum, quod per se & simpliciter natura obligationis respicit.

(c) Maresius in notis ad Castanei distinct. ad vocem obligatio p. m. 299. (f)

Lauterbach. in compend. Juris p. m. 483. (g) Becmannus in parall. p. m.

lit. ca. 13. num. 9. p. m. 571. Vide & Conzen. polit. l. 5. c. 8. §. 2. (h)

Pufendorff. in Elem. Jurispr. Univers. lib. 1. defn. 12. p. m. 115. & de J.

N. & G. lib. 1. c. 6. §. 5. p. 82.

§. 4. Exinde Legum Civilium obligatio ita describi posse videtur, quod sit Vinculum Morale LL. Civilium, quo à Summâ Potestate Civili subditi adstringuntur ad praestandum vel omittendum, quod in Lege jussum prohibitoriumvé fuerit.

§. 5. Atq; hæc quidem obligationis à nobis pertractandæ brevis descriptio; quam nunc secundum causas suas, ex quibus conflata est, examinabimus.

§. 6. Primò Principium examinandum venit, cui LL. Civilium obligatio ortum suum debet. Quod est Personæ publicæ & quidem summam potestatem in Civitate habentis voluntas.

§. 7. Pro Principio & quidem Principio quod agnoscimus Personam publicam potestate præditam. Privatæ enim Personæ, si vel maximè sit superior, leges simpliciter tales aliis ferendi potestas non competit. Argumentum quo hanc sententiam probavit (i) Thomas, affert (k) Meisnerus, eidemque aliud ex Thomæ ad objectionem aliquam contra hanc thesin responsione petitum adjungit, & ex eo (l) Heereboord transcribit. Quorum summa ad hæc redit. Privato nec finem LL. ferendarum, directionem scilicet boni communis in Republicâ competere, nec vim coactivam penes ipsum esse, quorum utrumque tamen ab eo abesse non possit, qui leges dicere aliis debeat. Quod enim ad primum attinet, tametsi cuivis Civi conveniat bonum Reipublicæ, quantum in se est, promovere, non tamen hoc directivè facit, utpote, qui directionem boni publici Principi commiserit, sed eo modo, qui cadere in subditum potest, e. g. exsequendo mandata Superioris, instantia pericula submonendo &c. Regii autem Ministri, quales sunt Consilarii, non principaliter, sed instrumentaliter ad istam directionem sese habent. Quod enim faciunt, non suâ, sed Principis autoritate persequuntur.

tur. Alterum autem, quod in Legislatore vis coactiva esse debeat, omni carere dubio videtur. Quæ enim, præsertim apud improbos, qui saltim formidine pœnæ peccare oderunt, autoritas legis foret, si Princeps vires non habeat malum aliquod representandi, quando ad præscriptum i sese componere neglexerint, quod tamen rectè (m) Pufendorff. in Legislatore requirit. Jus autem coërcendi per pœnas non privati, sed Magistratus esse, accuratè ostendit Excellentissimorum virorum ac Patronorum summorum triga (n) Dn. D. Alberti (o) Dn. L. Menckenius (p) Dn. Thomasius. Quibus adjungendus meritò est Nobilissimus (q) Dn. Zieglerus.

(i) Thomas 1. 2. q. 90. art. 3. (k) Meisnerus de LL. lib. 4. sect. 1. q. 6. p. m. 268. seq. (l) Heerebord. l. c. disp. 42. thes. 7. p. 160. (m) Pufend. de I. N. & G. l. c. §. 14. p. 96. pr. (n) D. Alberti compend. Jur. Nat. part. 2. c. 16. §. 10. p. 225. (o) L. Mencken. in disp. A. 1677. habita de Vindictæ private licentiâ. (p) Thomasius in Tab. Grotian. MSS. luce publicâ longè dignissimis Tab. LXII. (q) Ziegl. in not. ad Grot. lib. 2. c. 20. §. 8. & 38.

§. 8. Nec obstat locus, quem vulgo tanquam rationem dubitandi Scholastici adducunt ex (r) Apostolo: *Cum Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ipsi sibi sunt lex.* Sed Resp. cum (s) B. Meisn. in verbis Pauli non cuius concedi potestatem legislativam, sed tantùm notitiam legis naturalis indicari. *Sunt igitur homines sibiipsis lex non ACTIVÈ, ac si legem ipsi invenerint vel posuerint, sed RECEPTIVÈ, quia legem quilibet naturaliter inscriptam habet.*

(r) Apostolus Paulus Rom. II. 14. (s) Meisn. l. c. p. m. 269. f. Confer Commentatores in h. l.

§. 9. Alius fortassè objecerit, licere tamen, quando Magistratus dissentiant, & leges vel ferre vel exsequi ex dissensione intermittunt, in Oligarchiâ nimirùm aut Democratiâ, prudentioribus ex populo cum reliquorum consensu, decreta quædam ex tempore facere & illa ad tempus pro legibus retinere, quod statuit (t) Meisn. & cum eo (u) Heerebord, addunt tamen ipsimet, tum demum, si confirmentur à Magistratu ad unitatem reducto, in legum naturam abire.

(t) Meisn. l. c. q. 3. p. 257. (u) Heerebord l. c. th. 4. p. 159.

§. 10. Multò minùs par pari, aut inferior superiori legem præscribere potest. Rectè enim (x) Sanderson statuit Superiorum, & in aliquâ *ὑπεροχῇ* vel dignitatis præminentia constitutorum aded peculiare esse præcipere, ut omnino

omnino ridiculus esset, quisquis superiori vel etiam pari, aliquid faciendum par
aut inferior serio præciperet. At, Capitulationes quis fortè hinc obje-
cit, quæ in regnis electiis futuro Principi à subditis futuris offerun-
tur: Exemplo Capitulationes Cæsareæ esse possunt, de quibus vide (y)
Sprengerum prolixè agentem. Verùm hæc à Statibus primò nondum
ut subditis offeruntur: deinde obligari quidem statibus Imperator vi-
detur per eas, quamvis id negent alii; vide (z) Eundem: sed non per
modum legis, verùm per modum pacti, unde etiam rectè (a) Idem mo-
net, sapere hoc naturam contractus.

(x) Sanderson l. c. prælect. 6. num. 2. p. 310. sq. (y) Sprengerus de Jure
publico lib. 1. c. 28. p. 140. sqq. (z) Idem l. c. p. 171. pr. (a) Idem l. c.
p. 140.

§. 11. Requiritur porrò Personam summâ potestate præditam. Magi-
stratus enim, secundum receptissimam Politicorum opinionem, alius
summus, alius subordinatus est. Huic autem, cum à summo dependeat,
legislatoria potestas nisi dependenter & subordinatè competere non
potest. Imò leges ejus obligare nequeunt, nisi quatenus aut expresso
aut certè tacito consensu à summo Magistratu fuerint comprobatae.
Quo pacto semper ultima Analysis fit in Magistratum summum. Conf.
(b) Besoldum. (c) Sanderson. (d) Bodinum.

(b) Besoldus polit. lib. 1. c. 4. §. 2. n. 2. & 3. p. 145. seqq. (c) Sanders.
l. c. prælect. 7. n. 5. seqq. p. 315. seqq. (d) Bodinus de Republ. l. 3. c. 5.

§. 12. Verùm unde istud Jus summæ Potestatis derivandum sit, ulte-
rius investigamus. Nec enim cum (e) Hobbesio facimus, qui solam poten-
tiam sufficere existimat. Huc enim collimant illius verba: *Iis, quo-
rum potentie resisti non potest & c. jus dominandi ab ipsâ potentiâ derivatur.* Vi-
de in eandem sententiam plura apud Eundem. Verùm rectè respondet
(f) Pufendorff. per solas vires naturales non posse alteri obligationem
propriè dictam injungi. Diversa enim prorsus sunt cogere & obliga-
re. Imò sola potentia cogendi alium exindè obligationis Princi-
pium esse non potest, alteri, vel ex ipsâ Hobbesii sententiâ, quòd alter ju-
re resistere possit. Nemo enim justè resistit, qui alii submittere se ob-
ligatur. Hoc tamen ultrò concedimus, potentiam alterius aliquan-
do occasionem esse, ob quam ab aliis, liberè tamen eligi in superiorem
possit: quin & medii aliquando esse loco, quo Deus, quamvis extra-
ordinarie, superiorem hominibus imponat.

(e) Hobbe-



(e) *Hobbesius de Cive c. 15. §. 5. p. 113.* (f) *Pufendorff. de I. N. & G. l. c. §. 10. p. 88.*

§. 13. Nec etiam cum iis facere possumus, qui solam Naturæ eminentiam ad Jus superioritatis actu generandum sufficere existimant. Quo pertinere videtur illud Cyri ap. (g) *Plutarchum: Imperare neminem decere, qui non sit præstantior subjectis.* Verùm Naturæ præstantia aptitudinem quidem imperandi conferre potest: Jus sanè non potest, nisi Angelis, tanquam præstantiori longè naturâ præditis imperium aliquod in hominem naturale concedere velimus. Quin hinc maxima inter homines rixarum & dissensionum, imò bellorum etiam materies exsurget, pluribus sæpe de ingeniorum præstantiâ inter sese certaturis. Quod Aristotelis sententiam attinet, quam hîc fortasse aliquis attulerit, judicantis, si quis reperiatur omnibus virtutibus antecellens, eum Regem esse constituendum, arbitramur illam sic optimè tolerari posse, si explicetur de tali, qui maximè ad imperium aptus, & propterea, cæteris tamen paribus, ad regnum est admovendus.

(g) *Plutarchus in Apophthegmatibus.*

§. 14. Requirit itaque præterea (h) *Pufendorffius* duo, nimirum, ut aut ab isto insignia quædam bona sint in me profecta, aut, ut ipse ultrò in ejusdem directionem consenserim. Verùm, quod primum attinet, fateor me non intelligere, quod illud tantum esse bonum queat, ut Jus etiam invitum me obligandi ad aliquid (hoc enim Jus superioritatis in se involvit) alii attribuat. An divitiarum collatio? At, aurea libertas toto non venditur auro. An honorum promissio? quam enim æqualem mihi offerre dignitatem potest, qui sibi vendicat summam. An vitæ conservatio? hæc si Jus Superioritatis conferet, sæpè unus Civium in alterum Concivem illud acquireret, qui eum in bello servaverit. Superest ipsius vitæ collatio, verùm sic nemini, nisi Parentibus Jus Superioritatis vindicari poterit. Cæterùm hîc quoque distingvimus inter occasionem sive etiam medium, quo quis sibi acquirere istud potest, & ejus legitimum fundamentum. Quod autem *Pufendorff.* subdit, *naturaliter illi nos non posse non conciliari, abs quo multa bona accepimus, dicimus, aliud esse conciliari, quod inter pares quoque locum habere potest: aliud alicui obligari tanquam Superiori.* Porro ait: *Si constiterit eundem & benè mihi velle & melius, quàm ipse valeam, mihi prospicere posse, simulq; idem actu meæ directionem sibi vendicet, nihil apparere rationis, quare imperium istius devertare velim.*

velim. Sed hoc iterum aptitudinem saltim imperandi, non Jus ipsum infert. Directionem namque mei cur non admittam, si scilicet sit eligendus adhuc superior, ratio non est, verum nec apparet, cur ipsi, si no-
lim, jus me cogendi exinde acquiratur.

(h) Pufendorff. l. c. §. 12. p. 92 sq. & de Officio Hom. loc. cit. §. 5. p. 21. sq.

§. 15. Quod alterum attinet, liberum nimirum consensum, pro Principio Juris quidem hunc agnoscimus, sed non pro summo, verum subordinato. Verbo: Omne Jus Superioritatis à DEO petendum existimamus, cum (i) Maximè Rev. Dn D. Alberti, (k) Consultissimo Dn. Zieglero, (l) Sandersono. Ratio (m) Becmani hic placet: Princeps divine potestatis Vicarius est; Vicarium autem non inferiores, sed solus Principalis constituit.

(i) Dn. D. Alberti Compend. Juris Nat. part. 2. c. 14. §. 3. & 4. qui ex Theologis pro suâ sententiâ citat B. Gerhardum L. de Magistr. §. 32. seqq. & B. Hülsemannum Breviar. c. 20. th. 3. (k) Dn. D. Zieglerus in Not. ad Grotii l. 1. c. 5. §. 7. p. 126. 127. (l) Sanderson. l. c. prælect. 7. n. 14. sqq. prolixè. (m) Becmanus in parall. politicis c. 12. §. 4. p. 551.

§. 16. Media autem, per quæ DEUS confert istud Jus Superioritatis, duo putamus. Alterum ordinarium; hocque iterum duplex est, Electio scilicet & Successio: alterum extraordinarium & violentum, Jus belli, quo Deus in conferendâ Superioritate aliquando uti solet.

§. 17. Quicumque igitur in Republicâ vel legitime electus, aut in Regno successivo ex Principe genitus, aut vi armorum Superior noster factus est, illi quoque vis obligandi alios venit tribuenda. Sive jam sit Christianus, sive Ethnicus, sive Orthodoxus sive Hæreticus, ad rem nihil facit. Id quod ostendit (n) Becmanus ex (o) Jacobo Angliæ Rege. Agnovit hoc quoque (p) Bellarminus prolixè contra adversæ sententiæ Patronos [inter quos recenset (q) Armacanum, Wiclefum, Johannem Hussum, quò jure quâve injuriâ nunc non disquiremus] pugnans. Argumentum ipsorum ex ratione petitum hoc ipse affert: de Deo non esse præsumendum, quod improbis dominia conferat, tum quia hostes ejus sunt; tum quia videretur approbare abusum: dum impii suâ potestate abutantur. Verum rectè monet Bellarminus inter alia: Fundamentum domini non esse gratiam Dei, justitiam & charitatem: habemus enim in (p) Scripturis exempla infidelium, quibus DEUS imperium contulit. Quin & cum sæpè dubitare liceat, an alter sit in Gratiâ apud DEUM, nec ne,
B incredibilis

incredibilis hinc confusio & perturbatio inter homines sequetur. Accedit, quod nullus Gentilis Imperator inter Gentiles subditos legitimum haberet imperium, quod tamen Naturæ prorsus repugnat. Quod attinet argumentum adversariorum, sufficere potest Bellarmini responsio: Dei benignitatem non dedecere, ut hostibus benefaciat, Matth. V. nec donare Imperia impiis, ut eis abutantur, sed vel ut beneficentiâ suâ invitati convertantur à peccatis suis: vel ut remuneret quædam beneficia eorum: vel denique, quia interdum hoc merentur peccata populorum. Huc etiam facit gravis admonitio (s) B. Gerhardi adhortantis contra hujusmodi cogitationes muniendum esse animum auctoritate verbi divini, quod testatur, vitia personarum ab ipso officio esse prudenter discernenda, ac potestatem Magistratûs esse à Deo, quamvis abusus potestatis ab ipso non sit, nec ipsi placeat.

(n) Becm. l. c. §. 8. p. 561. seqq. (o) Jacobus Rex Angliæ in Jure libera Monarchiæ fol. 185. & 186. (p) Bellarm. l. 3. de Laicis c. 8. (q) Armacanus lib. 10. quæst. Armen. c. 4. (r) Esaiæ XLV. 1. Jerem. XXVII. 6. Dan. II. 21. (s) Gerhard. l. c. §. 33. conf. & §. 55.

§. 18. Atque hactenus Principium quod obligationis, quæ est in LL. Civilibus, persecuti sumus. De Principio quo nunc quæritur, sitne illud sola Superioris Voluntas sive auctoritas, an etiam, prout (t) le Grand existimat, causa simul, quæ illum adegerint ad tale frenum libertati imponendum, sint proferenda. Sufficere voluntatem putamus, cum aliàs multæ divinæ quoque leges, quibus ratio expressè non est addita, pro injustis fuerint habenda. Atque huc spectat, quod apud Gallos in fine Legum omnium ac Edictorum, teste (u) Becmano, subjici clausula soleat: *Quia sic nobis placuit.* Additionem rationum utilem saltem, non necessariam judicamus, præsertim cum inferior de superiore temerè dubitare non debeat, quod pro sua fide & expenderit rationes, propter quas tulit legem, & saluti communi velit esse prospectum. Quod faciunt ejusdem (w) Becmani verba scribentis: *Semper quidem esse aut præsumi fuisse causam, quæ legislatorem ad sanctionem legis permoverit: quæ tamen ut subdito innotescat, non semper opus est: subdito enim sola parendi facultas relicta est.* Et (x) alibi: *Legi servandæ apud subditos sufficit Voluntas Legislatoris: parendi necessitatem enim ferunt, & sæpè ne pares quidem sunt rationibus penetrandis, quibus Princeps vel Respubl. ad jubendum motus fuerat.* In sententiam quoque nostram descendit eruditissimus (y) Sanderson asseverans, quamvis sint, quæ ad legem rectè constituendam, antecedenter requirantur, voluntatem tamen

tamen Principis [ex cuius unius arbitratu & iussione omnes legum rogationes aut
rate habentur aut irritae] esse solam & adaequatam publicarum legum efficien-
tem causam.

(t) Le Grand Institut. philos. part. 10. art. 22. aph. 9. p. 1117. (u) Berna-
nus medit. polit. dissert. XIII. n. 2. p. 212. (w) Idem. l. c. n. 3. p. 213.
(x) Idem in parall. polit. c. 13. §. 2. p. m. 565. (y) Sanderson l. c. n.
8. p. 322.

§. 19. Esse autem denique in Superiore ejusmodi potestatem subdi-
tos per sui voluntatem etiam invitos ad aliquid obstringendi, dubitare
nemo poterit, sive ex (z) Scripturis Magistratum DEI vicarium esse in-
telligat, sive absque hoc si fuerit, vix ac ne vix quidem de reductione
qualicunque Status Integrit. [ut hypothesein Venerandi nostri Præce-
ptoris (a) Dn. D. Alberti hinc nostram faciamus] quicquam sperandum
esse, neque societatem quamcunque posse consistere, naturam experien-
tiâque ducibus consideret. De quâ LL. Civilium necessitate pluribus
agunt (b) B. Meisnerus, (c) B. Gerhardus, (d) Conzenius, (e) Schönborn-
(f) Thomas, cujus hæc conclusio: *Necessarium fuit ad quietam & pacifi-
cam hominum vitam, aliquas ab hominibus leges imponi, quibus homines impro-
bi metu pœne à vitis cohiberentur, & virtutem assequi possent.*

(z) Rom. XIII. 4. (a) Dn. D. Alberti Comp. J. N. part. 1. c. 1. (b)
Meisn. de LL. l. c. q. 2. p. 253. sqq. (c) Gerhardus l. c. §. 215. p. m.
877. seqq. (d) Conzenius lib. 5. polit. c. 3. §. 4. p. 274. (e) Schön-
bornerus polit. lib. 3. cap. 1. (f) Thomas l. c. q. 95. art. 1. ejusq. Com-
mentatores hinc.

§. 20. Objectum, sive ii, quos obligant Leges Civiles, sunt Subditi.
Ubi nihil interest, sive infidelis quis sit, sive fidelis. Nam Christiani, ut re-
ctè ait (g) Bellarminus, ex eo, quod Christiani sunt, non desinunt esse homines
& cives, & proinde membra Reipublice temporalis, ergo debent habere Regu-
lam aliquam actionum suarum humanarum, quâ dirigantur in commerciis & con-
suetudine cum aliis hominibus. Atque fides Christiana, scribente (h) Hornejo,
Magistratum & leges politicas non tantum non tollit, sed maxime confirmat.

(g) Bellarm. de Laicis l. 3. c. 10. §. secundo probatur. (h) Hornejus phi-
los. moral. l. 4. cap. 3. §. 41. p. 617.

§. 21. Nihil etiam refert, sive Laicus quis sit sive Clericus, siquidem Le-
ges universim pro Civitate fuerint latae.

§. 22. Pontificii hinc quidem magnoperè sese torquent. *Non sunt, inquit (i) Bellarminus, exempti Clerici ab Obligatione LL. Civilium, quæ non repugnant sacris Canonibus vel officio Clericali.* Paulò autem post sententiam suam sic restringit: *nec volumus dicere teneri Clericos obligatione Coactivâ, sed solum directivâ, nisi eadem leges ab Ecclesiâ approbata fuerint.*

(i) Bellarminus lib. 1. de Clericis c. 28.

§. 23. Eam ipsam autem obligationem directivam, quam concedit Cardinalis, & cum eo plerique Scholastici ac Doctores Pontificii, si (k) Meratio credimus, è diversis fontibus diversi deducunt. Alii enim, cum quibus modò laudatus Meratius facit, quæque sententia veritati magis accedit, ex eodem capite & fonte obligationis Clericos æquè ac Laicos putant obstringi. Negant id ipsum rursus alii, quibus accedit (l) Vasquez, statuendo, Laicos ad id obligari ex virtute obedientiæ, quam debent Principibus secularibus tanquam legitimis superioribus, ac proindè proximè vi positivarum legum, quæ ab eis feruntur: Clericos autem non ex istâ vi & ex illâ obedientiæ virtute, sed ex Jure Naturali eos obligante ad se conformandum cæteris ejusdem communitatis partibus & membris in materiâ prædictarum legum. Verùm his rectè se opponit Meratius; cujus responsio huc demum redit; si justa fuerit exemptio Clericorum à Legum Civilium observantiâ, quæ prætenditur, sive Jure divino sive humano fuerit, ineptum fore, si quis lege naturali eos adhuc teneri ad earum observantiam statuerit. Si enim hoc verum est, exemptio illa erit legi naturæ contraria, & quod inde fluit, injusta. Discedit igitur ab hac sententiâ (w) Suarezius, & affirmat Clericos ad Civilium Legum observationem obligari non ex earum propriâ vi, sed Canonici Juris, per quod approbantur: approbari autem eo ipso, quo non reprobantur. Quam sententiam rectè infringit Meratius urgens [1.] sic etiam posse dici Clericos ad LL. Civiles obligari ex vi juris positivi divini, per quod approbantur, eo ipso, quo non reprobantur. [2.] Quod per jus positivum sive Canonicum sive Divinum LL. Civiles non reprobentur, non facere, ut obligandi vim ex hoc illove jure propriè accipiant, sed ut eam, quam ex se habent, retineant, quamdiu nullo potentiore Jure retinere impediuntur. [3.] Transgressionem Legum Civilium non fore inobedientiam contra obedientiam debitam Principibus Legislatoribus, sed tantum, contra debitam iis obedientiam, à quibus Jus Canonicum conditum est. Imò illud quoque quàm absurdum sit, quis non videt? approbari LL. Civiles

Civiles à Canonico Jure eo ipso, quo non reprobantur. Si enim hoc sequitur, etiam leges Indorum, & nescio quorum populorum à Jure Canonico probabuntur, tametsi ne notæ quidem ipsi fuerint, quia non sunt reprobatae.

(k) Menatius disput. in summam Thomæ Tom. I. tract. ult. de LL. disp. 16. sect. 4. ubi multos citat Doctores Pontificios. (l) Vasquez in 1.2. q. 96. art. 5. disp. 167. c. 4. (m) Suarez de LL. lib. 3. c. 30.

§. 24. Atque hæc ferè Adversariorum est sententia. Verùm nos Clericos æquè ac Laicos teneri Legibus Civilibus & directivè & coactivè, ex ipsis Adversariis probari posse existimamus. Nam Clerici, præterquam quod Clerici sunt, sunt etiam Cives & partes quædam Reipublicæ politicæ. Igitur ut tales vivere debent Civilibus Legibus; verba hæc iterum sunt (n) Bellarmini. Quibus ille quidem saltem directivam vim legum quoad Clericos probare conatur, nos autem coactivam quoque ex iisdem fluere fontibus putamus. Unde enim est, ut cogi jure Laicus ad observantiam Legis Civilis possit, sanè fontem alium non video, quàm quod Civis est, hoc est, pars ejus Reipublicæ parens, in quâ lex lata est. Si igitur Clerici quoque sunt Cives, non solum Laici, quod largitur Bellarminus, profectò etiam vis coactiva legum ad illos æquè ac ad hos pertinebit.

(n) Bellarm. loc. cit.

§. 25. Hic illud (o) Suarezii fortassè quis opponet nobis, Legibus Civilibus relictam quidem esse directionem necessariam etiam quoad personas Clericorum in his quæ secundum communem rationem Civium necessaria sunt ad commune bonum civitatis: nihilominus coactionem etiam pro talibus legibus necessariam reservatam esse Ecclesiasticis Judicibus propter honorem & decentiam Ecclesiastici status & ad majora mala vitanda. At, quòd obligationem coactivam ille non prorsus tollat, laudamus quidem: circa illud autem, quod Judici Ecclesiastico eam reservatam dicit, quærimus, ista reservatio unde, aut quo jubente sit facta? Lege Naturali? ea discrimen Clerici & Laici non attendit. An divinâ positiva? nullam etiam audimus, quin illa exemptio contraria potius est (p) Apostolo Paulo, qui πᾶσαι ψυχῆν Magistratibus Civilibus sine omni reservatione coactionis subjicit. Papam reservantem sibi suisque aliena, & quæ ipsi non competunt, non audimus. Honorem Clericorum, ad quem tanquam causam confugit, ne obtendat. Per hunc ipsum enim honorem & decentiam Status

Ecclesiastici derogat honori Magistratus summi Dei vicarii, præsertim cum ipse non erubescat subdere, pertinere ad Magistratus Civiles implorare auxilium Prælatorum Ecclesie hoc est Civium suorum, ex mente Bellarmini, (q) ut cogant subditos suos justas leges servare. Majora mala & eorum evitacionem id urgere inficiamur. Nisi fortè Svarezius intelligat ea tempora, quibus Principes artibus Papalibus circumventi de suo jure remittere multa cogebantur, ne prorsus perderent. Sed hoc derogare ipsorum juri non debet.

(o) Svarez lib. 3. de LL. c. 34. (p) Paulus Rom. 13. 1. seqq. (q) Bellarm. l. c.

§. 26. Excludimus autem per vocem subditorum Exteros, sive eos, qui alii Principi sunt subjecti. Quia enim in illos Principi nulla Jurisdictio competit, nec eos legibus obstringere valet, quia harum latio proprius potestatis jurisdictionis actus est. Quod ipsum simili illustrat (r) Meratius scribens: Sicut agens naturale extra Sphæram activitatis sue non agit, quia non potest, & idè non potest, quia activitas ejus hæc spheram continetur & clauditur: ita nec Legislator obligare potest extra prædictam regionem, quia cum ejus legislativa potestas non se diffundat in universam terram, sed certam ejus partem tanquam terminis concludatur, hæc pars propria ejus principatus regio est.

(r) Meratius l. c. sect. 3.

§. 27. Cum verò exteros à legum obligatione immunes pronunciamus, id cum reduplicatione scilicet quædiu tales sunt, intellectum cupimus. Quando enim cessant esse tales, & in alicujus Principis territorium se conferunt, ibidemque per aliquod temporis spatium commorantur, iisdem illos legibus, quibus ipsius loci incolæ tenentur, obligari statuimus. Quam sententiam (s) Svarezius multorum scriptorum auctoritate confirmat, probatque ex eo, quod lex à Principe Territorii alicujus lata pro territorio, omnes in eo commorantes comprehendat. Cautionem tamen nos hæc addimus, nisi talis lex expressè eos vetuerit parere Mandato Superioris sui, cui aliàs sunt obligati.

(s) Svarez l. 3. de Legibus. Conf. Grotium de J. B. & P. l. 1. c. XI. n. 5. p. 222.

§. 28. Neque per exteros illos exclusos volumus, qui cum subditi alicujus Principis reverà sint, ad tempus in alienam ditionem versantur. Tametsi enim physicè, ut ita loquamur, intra spheram territorii Principis sui non contineantur, æstimo tamen morali eò pertinent, dum nimirum huic Principi sese obligaverunt. Quo fundamento Avocatio-

nes

nes Principum belli tempore usitata nituntur. Quod autem quis dixerit: illum, dum exteris in regionibus versatur, teneri se accommodare legibus loci, quæ sæpè contrariari sui Principis decretis possint, distinguendum est inter leges eas, quas Princeps dat solo in territorio suo commorantibus observandas, & quas dat subditis quibuscunque.

§. 29. Denique dum subditos constituimus objectum Legum Civilium earumque obligationis, prorsus ab illâ eximimus *Principem*. Intricata aliàs & multis difficultatibus obnoxia est quæstio, an Princeps suis Legibus etiam obligetur. Ad cujus majorem dilucidationem notanda sunt [1.] circa *Subjectum quæstionis*, scil. posse sermonem esse, vel de Legislatore, qui singularis aliqua persona est, & penes quam est potestas ferendarum legum independenter ab alterius potestate atque consensu: vel de Legislatore, qui est communitas Optimatum aut totius Populi. De Legislatore in posteriori sensu nullum est dubium, quin legibus sit subjectus, quia singuli toti illi communitati subjiciuntur, tanquam subditus superiori. Nec obstat [a] quod singuli conjuncti cum cæteris ipsam legem sanciant, nam sic spectari [uti rectè monet (t) *Maratius*] jam non sunt singuli divisivè accepti, sed collectivè seu ipsa tota communitas: cujus legibus illos divisivè sumtos, quoad utramque vim subijci dicimus, ut superiori subditos. Nec obstat [b] quod iidem singuli divisim jus habeant ferendi suffragii in legem à communitate ferendam. Nam, ut iterum verbis *Maratii* respondeam, non propterea sic accepti singuli reipsa legem ferunt, aut ferendi potestatem habent, sed ipsa sola communitas.

(t) *Maratius loc. cit. sect. 5.*

§. 30. [2.] Circa *Predicatum quæstionis*, observo duo [a] leges, quæ à Principe constituuntur, diversi esse generis: quædam ita sunt comparatæ, ut sint communes toti civitati, & ut rationes, ob quas sanciantur, ad ipsum etiam Principem extendi queant: aliæ verò ita sese habent, ut aliquos tantum & certos ex civium numero spectent. Vide (u) *Hornejum* ex (w) *Cajetano* sic distinguentem. De his posterioribus nullus movet dubium. Quis enim tam stupidus foret, qui Principem illis legibus, quæ specialiter v. g. Professoribus Academiae aut Mercatoribus dicuntur, ligari diceret. [b] In omni lege secundum receptissimam opinionem duplicem esse vim, alteram directivam, alteram coactivam: prior ostendit, quid faciendum, quidve omittendum sit, si peccatum evitare velis: posterior te reum facit pœnæ per leges impositæ, si iis contravenias,

travenias. De coactiva non est quæstio. Omnes enim saniores Politici Principem summum à nemine in his terris plecti posse concedunt. De directivâ saltim est quæstio, quam (x) plerique, quotquot mihi quidem videre contigit, Scriptores in Principem cadere existimant. A quibus parùm recedunt, qui distinguunt eum (y) *Wurmsero*, (z) *Besoldo* & aliis, inter potestatem Principis ordinariam & extraordinariam. Secundùm illam Principem Legibus Civilibus etiam à se latis teneri asserunt: juxta hanc autem ab iisdem liberum eum pronunciant.

(u) *Hornejus l. c.* (w) *Cajetanus in 1. 2. q. 96. art. 5.* (x) *Thomas l. c. q. 96. art. 5. Vasquez loc. cit. disp. 167. cap. 3. Meratius l. c. sect. 5. Alij Thomæ Commentatores. Conzenius polit. lib. 5. c. 20. p. 303. Heereboord l. c. thes. 8. p. 160. cum quibus è Nostratibus faciunt B. Gerhardus l. c. n. 265. p. m. 957. sqq. B. Meisnerus loc. cit. q. 10. p. 298. sqq. Slevogtius in Corollar. annexo disputationi Practica 8. de peccato morali, conclus. 2. p. m. 780. Hornejus l. c. §. 43. p. 618. seqq. (y) *Wurmserus Juris Publ. exercit. 3. q. 1. p. m. 96. 97.* (z) *Besoldus Polit. lib. 1. cap. 2. p. m. 81. 82.**

§. 31. Nos prorsus neque vim directivam, neque vim coactivam in Principem cadere existimamus. Lex enim neminem nec dirigere, [intellige ut culpam, si non sequatur, incurrat] nec cogere potest, nisi eum, cui lata fuerit. Nullus autem Princeps sibi, sed subditis leges fert. At dices, pertinere tamen ad Principem exemplo præluere subditis, adedq; à lege esse dirigendum, & per consequens culpam contrahi à Principe non servando legem; id quod ii, qui nobis contrariam sententiam tuentur, potissimum urgent. At respondemus, distinguendum esse inter subjectionem directivam legi debitam, & inter accommodationem ad legem ex officii ratione, non ex legis aliquâ obligatione promanantem. Verum est, Principem ratione officii præluere subditis debere, & ita culpam committere, si contrarium quid legibus suis fecerit, non tamen peccare in illas, sed vel in legem Naturæ aut divinam, si cum his lex à se lata convenerit, aut si circa indifferentia fuerit, in officium suum. Nostræ sententiæ accedit (a) *Felwingerus*, qui expressè Majestatem, tam quoad vim coactivam quàm directivam à Legibus Civilibus eximit, & rationibus aliquot hanc sententiam confirmat. Nec alienum à nostrâ sententiâ sæpiùs laudatum, nunquam autem

autem satis laudandum (b) *Dn. D. Alberti* judicamus, dum Principem legibus positivis humanis superiorem esse asseverat.

(a) *Felwinger. dissert. polit. 26. de Majest. §. 31. p. m. 840. sq.* (b) *Dn. D. Alberti Comp. Jur. Nat. part. 2. c. 14. §. 9. p. m. 214.*

§. 32. Denique ipsos subditos intelligimus aptos, ut legem observare & exsequi possint. Hinc infantes, hinc furiosi legibus non tenentur, utpote quas intelligere nequeunt. Quo pertinet elegans (c) *Becmani* distinctio: Inter ea, quæ exemptionem à Legibus præ se ferunt, alia sunt, quæ legem non capiunt, ut Buta, Furiosi, Infantes, quæ infra LL. posita sunt: alia, quæ lex non capit, ut Princeps, qui legibus eminent, eoquæ ab iis capi aut comprehendi non potest.

(c) *Becman. in parall. polit. c. 13. §. 5. p. m. 567. conf. & ejusdem medit. polit. l. c. n. 4. p. 185.*

§. 33. Superest ista quæstio, secundum quos actus subditi obligari possint, an solum secundum actus externos, an etiam secundum internos, De illis res clara est, de his autem quid sit statuendum, pluribus disquirere possemus. Sed pluribus hæc jam persecutus est (d) *Vasquez*. Nos cum (e) *Grotio* respondemus: *Nature lumini congruum non esse, ut ex actibus merè internis jus aut obligatio inter homines nascatur.* Nihilominus tamen eos actus internos, qui ad externos se habent per modum cause, ut propositum contra legem quicquam committendi, consequenter & secundario obligari posse, eos autem qui per modum nude circumstantiæ se habent, lege humanam non teneri, statuimus.

(d) *Vasquez l. c. disp. 160. c. 3.* Cui adde *Maratium l. c. disp. XL. sect. 2. seqq.* (e) *Grotius de I. B. & P. l. 2. c. 20. §. 18. p. m. 329.*

§. 34. Forma Obligationis in eo consistit, quod per illam (declaro verbis (f) *Pufendorffii*) injiciatur quasi frenum aliquod nostræ libertati, ut quamquam de facto voluntas in diversum tendere queat; intrinsicè tamen per eandem velut sensu imbutam se deprehendat, ut, nisi præscriptæ normæ conformis sit actio edita, non rectè se egisse cogatur agnoscere. Adedq; si quid mali eo nomine homini eveniat, non immeritò id sibi accidisse judicet: cum normam prout par erat sequenti istud evitare licuerit.

(f) *Pufend. de Offic. Hom. l. c. §. 3. p. 19. Conf. & ejusdem de I. N. & G. l. c. §. 5. p. 82. atq; Elementa Jurisp. Univers. defin. 12. §. 1. p. 118.*

§. 35. Ex quibus elucescit obligationem ipsam esse duplicem, alteram directam, scilicet ad officium seu præstandum id, quod quis lege facere vel

C

omit-

omittere jubetur: alteram indirectam seu ad culpam & per consequens ad supplicium referendum, seu patiendum id, quod lex minatur. Ubi accuratè observat (g) *Sanderson* ex his obligationibus illam priorem & potiorè sicut naturà suà, sic & intentione Juris esse debere. Unde rectè subdit: Intendit lex primariò, directè, per se & ἀπλῶς obligare ad officium per obedientiam: ad supplicium autem & pœnam non obligat nisi secundariò, indirectè, consequenter & ex hypothesi, supposito scil. officii contemtu. Ad quod nos quoque suprâ (h) respeximus. Cæterùm hanc posteriorem obligationem, quam indirectè lex intendit, duplicem fecimus ad culpam & ad pœnam. Hæc enim duo nunquam divellenda sunt, quia, ut idem *Sanderson* rectè monet: Tyrannidis est, non Juris, pœnam intendere aliter, quàm in ordine ad culpam.

(g) *Sanderson de Juram. obligat. prælect. 1. n. 12. p. 24.* (h) §. 3.

§. 36. Porro cùm in genere culpa, quam aliquis transgrediendo legem contrahit, sit duplex, vel civilis, vel moralis; hinc etiam duplex oritur obligatio, civilis nimirùm & moralis. Quarum prior obstringit ad obediendum sub culpâ tantùm civili & sub metu offensionis hominum: posterior obstringit sub culpâ morali & mortali, adeòq; sub metu offensionis Dei aut violati Numinis, juxta (i) *Meisnerum*.

(i) *Meisn. l. c. q. 11. p. 305.*

§. 37. De hæc posteriori obligatione an etiam in Leges Civiles cadat? sive: an Leges Civiles etiam in conscientiam obligent? gravis & maximè ardua est controversia.

§. 38. Circa cujus quæstionis resolutionem nonnulli excedunt statuantque, Leges Civiles æquè obligare in Conscientiam ac divinas. Inter quos primum locum (k) *Bellarmino* jure adsignamus; cujus hæc signata sunt verba: *Lex Civilis non minus obligat in Conscientiam, quàm divina, etsi minus firma & stabilis sit illa quàm hæc.* Alii verò deficiunt, & conscientiam iisdem ligari planè inficias eunt. Cui sententiæ è Reformatis accedunt (l) *Calvinus*, (m) *Sibrandus* & *Joh. Scarpus*, teste (n) *Conzenio*: E Pontificiis eandem propugnant (o) *Joh. Gerson* [fatente (p) *Bellarmino*] *Almainus* & [secundùm aliquos] *Navarrus* citante (q) *Sandersono*.

(k) *Bellarmin. l. 3. de Laicis cap. 11.* (l) *Calvinus Instit. l. 3. c. 19. sect. 15. 16. lib. 4. c. 10. sect. 3. n. 4. 5.* (m) *Sibrandus de P. R. l. 8. c. 7.* (n) *Conzenius polit. l. 5. c. 8. n. 15.* (o) *Joh. Gerson de vitâ spiritali lect. 4.* (p) *Bellarmin. de Laicis l. 3. c. 9.* (q) *Sanderson de obligat. conscient. prælect. 5. §. 6. p. 203.* §. 39.

§. 39. Nos utriqve sententiæ nos opponimus, ac medium hîc quoque tutissimum esse rati asseveramus: *Leges Civiles non æquè ac divinas, attamen revera quoque in conscientia obligare.*

§. 40. Quod primam assertionem attinet, scil. *Leges Civiles non æquè ac divinas in Conscientiâ obligare*, illam probamus ex eo, quia (1.) Deo superiorius competit Imperium, quàm ulli Hominum: ergo & major vis obligandi. (2.) *Leges divinæ per se, absolute, immediate, directè & vi propriâ: Leges humane tantùm ex consequenti, relative, mediate, indirectè & virtute divini Præcepti, de obedientiâ Magistratui præstandâ, obligant.* (3.) *Legum divinarum violatio majorem importat culpam, quàm si humanas fueris transgressus. E. & illarum major est obligatio.* Vide hæc pluribus deducta & confirmata à (r) B. Meisnero, (s) B. Gerhardo, (t) Sanderfono, (u) Conzenio, (w) Würmsero & aliis.

(r) Meisnerus l. c. q. 11. p. 303. seqq. (s) B. Gerhard. l. c. n. 267. 268. p. 960. (t) Sanderfonus de obl. Consc. prælect. s. n. 2. p. 196. & n. 23. p. 233. seqq. (u) Conzen. l. c. §. 15. resp. ad obj. 7. p. 286. (w) Würmserus l. c. exerc. 7. q. 10. p. 321. sq.

§. 41. Jam (x) Bellarmini objectiones, quas nostræ assertioni opponit, breviter diluemus. Objicit verò [1.] quia *vis obligativa est de essentiâ legis, & obligare ejus dem effectus necessarius. E. omnem legem, à quocunq, feratur, sive à Deo, sive ab Angelo, sive ab homine eodem modo obligare.* Consequentiâ probat hoc simili: *quia hominis essentia est rationale esse, & propria ejus passio est esse risibilem, omnis homo est rationalis & risibilis, sive sit creatus à solo Deo, ut Adam, sive à Deo ex alio homine, ut Eva, sive ab hominibus genitus, ut Cain.* Antecedentis, cum illud concedamus, probationem ex eodem non addimus. Resp. Cardinalem confundere species univocas & analogas. *Leges enim divinæ magis de naturâ legum participant, quàm humanæ, quia superior qui eas tulit, & à cujus autoritate vim suam acceperunt, nobilior est humanis Legislatoribus.* Per consequens illarum quoque obligatio nobilior erit & sic essentia legis. In simili est dissimile. Ad rerum enim physicarum essentiam causarum efficientium differentia quidem nihil facit, at longè aliter in moralibus res se habet. Ubi hæ circumstantiæ ab externis etiam desumptæ essentiam rei ingrediuntur. [2.] objicit, *si lex obligaret solùm, quia divina, omnes leges divina æqualiter obligarent, ut patet, nam eadem esset ratio obligationis in omnibus. At hoc falsum est, nam magis obligat lex, non occides, quàm lex non furaberis*

C 2

Resp.

Resp. falsum esse magis obligare legem de non occidendo, quam de non furando, utriusque enim transgressio poenis aeternis coercetur. Objecta legum harum tanquam gravius & levius differere interim non negamus. Ad (3.) argumentum, cum dicit Bellarminus, illa lex divina magis obligat, cujus violatio est magis contraria fini legis, id est, Charitati: sed lex humana etiam habet pro fine Charitatem. Resp. non ex finis identitate aequalitatem obligationis esse deducendam, sed ex autoritate Legislatoris. Nec (4.) procedit, cum ait aequè legem humanam ac divinam facere ex actu per se in differente virtutem, dum illam jubet, hæc enim ejus verborum summa est: Nam eundem quidem modum determinationis affert, quanquam de hac & dispici queat, eandem vim & auctoritatem nequaquam. (4.) Instat legem divinam & humanam ita differere, ut legem Regis & Pro-Regis &c. at istæ obligant eodem modo & solum differunt firmitate. Sed aequè obligare legem Regis & Pro-Regis veritati contrariatur. Hæc enim approbationem Regis præsupponit, illa alienam approbationem non nititur. Unde quamprimum Rex contrarium jussit, hæc cedere cogitur, quod non accideret, si aequè obligaret. (6.) ejus argumentum prorsus contra nos non est, sed contra eos, qui omnem obligationem ad Culpam Legibus Civilibus denegant. Septimum è Sacram Scripturam depromptum Theologis discutiendum relinquimus.

(x.) Bellarm. de Libert. l. 3. c. 11.

§. 42. Altera nostra assertio est: Leges Civiles reverà in Conscientiam obligant. Ad cujus probationem antequam accedam, observo Legibus Civilibus tum demum hanc vim competere [1.] si non sint injusta. Nec enim [utor verbis Celeb. (y) Ziegleri] obligat lex in Conscientiam, nisi justa sit: justa autem non est, nisi jubeat ea, quæ jure divino aut naturaliter non sunt prohibita. Et [ut cum nostro (z) Dn. D. Alberti loquar] sola lex justa vim obligandi de jure habet, quam injusta de facto tantum sibi vendicat. Quibus conformis est regula (a) Sandersani: Rei illicitæ nulla est obligatio. Hinc repudiamus sententiam (b) Hobbesii, qui scribere non veretur: Regulas boni & mali, justi & injusti, honesti & inhonesti, esse leges Civiles, idèquod quod Legislator præceperit, id pro bono, quod vetuerit, id pro malo habendum esse: Et post pauca: Iniquæ sunt illæ, quanquam quotidiana voces: Regibus non esse obtemperandum, nisi justa præceperint: Ante Imperia, justum & injustum non existere: ut quorum natura ad mandatum sit relativa; actioque, omnis suam naturam a diaphora est. Quod justa vel injusta sit, à jure imperantis provenit. Reges igitur

tur legitimi, quæ imperant, iusta faciunt imperando, quæ vetant vetando inju-
sta. Quam absurdam & pestilentissimam opinionem, ac si omnis a-
ctio suâ naturâ esset indifferens, accuratissimè profligavit Excell. (c)
Dn. L. Cyprianus, Fautor noster longè Honoratissimus. Monemus tamen
circa hoc requisitum, præeunte (d) Becmano, cùm difficillimum sit, leges,
quæ verè injustæ sint, nisi manifestò Jus Naturæ, Gentium aut divinum
evertant, dignoscere, tutiùs semper fore, rei faciendæ se accommoda-
re, quàm inobedienciâ suâ & aliis offendiculo & Publico molestiæ esse.
Nam, ut non malè scribit (e) Pufendorff. *jussa superiorum semper comitatur
presumptio justitiæ, ubi manifestè iniquitas non apparet: & longè præsentius est
peccandi periculum citra sufficientem causam superioris mandatum negligere,
quàm non obstante scrupulo aliquo illiquido idem exequi.*

(y) Zieglerus *Comm. in Grot. l. 2. c. 20. §. 17. p. 448.* (z) Dn. Alberti l.
c. part. 2. proleg. §. 4. (a) Sanderson *de juram. oblig. prælect. 2. sect.*
1. n. 13. p. 54. & in tract. de oblig. Consc. prælect. 5. n. 7. sqq. (b) Hob-
bes. *de Cive c. 12. §. 1. p. 82. 83.* (c) Dn. L. Cyprianus *in disp. de In-*
differentissima Morali A. 1668. Lipsiæ habitâ. (d) Becman. *medit. pol.*
l. c. n. 5. (e) Pufendorff. *select. dissert. Academ. 1. p. m. 26.*

§. 43. [2.] Si præscribant possibilia. Ad impossibilia enim, uti tritissimus
habet Canon, nemo obligatur: Nisi, ut rectè limitat hunc Canonem.
(f) Dn. Zenigravi. *impotentia illa nostra sit contracta culpâ. Talis enim, juxta*
(g) Pufendorff. *qui suâ culpâ vires præstandi detrivit aut perdidit, eodem mo-*
do tractari potest, atque si vires adhuc obtineret: cùm aliàs facilis esset via,
quamvis obligationem paulò laboriosorem eludendi, ultrò corruptis præstandi vi-
tibus. Vid. & (h) Sanderson.

(f) Zenigravius *de Jur. Nat. Orig. art. 3. §. 17. p. 59.* (g) Pufendorff.
de officio hominis l. 1. c. 1. §. 23. p. m. 16. (h) Sanderson. *de Jur. obl.*
l. c. n. 12. p. 52. seqq.

§. 44. [3.] Si sint promulgata ita, ut in notitiam subditorum quorumlibet,
quos obligare debent, venire poterint. Valet hîc illa Maxima: Ubi nulla le-
gis cognitio, ibi nulla prævaricatio. Non enim facimus cum quibusdam
Pontificiis, qui putant, Romani Pontificis decreta non necesse esse, ut
omnibus publicentur, ad quos spectant, sed statim atque Romæ fuerint
promulgatæ, ubiqve vim & robur habere. Sic enim statuunt (i) Les-

sius [cujus verba ap. (k) Dn. D. Alberti lege] (l) Gregor. de Valentia, (m) Suarez, (n) Salas, (o) Sayrus & alii ap. (p) Dianam, citante (q) Trullench. qui his, præter tres rationes, magnam suæ fidei hominum aliter & quidem rectius sentientium opponit nubem: cui nos adjungimus (r) Thomam (s) Meldulam (t) Merarium, (u) Conzenium.

(i) Lessius in prælect. Theol. posth. p. 241. (k) D. Alberti l. c. part. 1. c. 3. s. 39. p. 102. sq. (l) Gregor. de Valentia tom. 2. disp. 7. q. 5. punct. 5. (m) Suarez de Leg. l. 4. c. 15. n. 2. (n) Salas disp. 12. sect. 2. n. 10. (o) Sayrus in Clave Regiâ l. 3. c. 5. n. 7. (p) Diana tract. 10. de LL. p. 1. resol. 3. (q) Trullench. Tom. 3. in expositione Bullæ S. Cruciatæ lib. 1. s. 7. c. 1. dub. 9. n. 20. (r) Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. (s) Meldula Theol. Moral. disp. 2. q. 1. art. 2. n. 17. (t) Merarius l. c. disp. 4. sect. 6. & sect. 7. (u) Conzenius l. c. cap. 8. s. 11. p. 284.

§. 45. Promulgatio autem Legum Civilium sive scripto, sive voce fiat, nil refert. Scripturam enim ad legis essentiam pertinere cum (w) Wurmsero, (x) Conzenio, (y) Hornejo negamus: nam & olim leges litteris haud mandabantur, teste (z) Pancirollo: attamen promulgationem scripto factam alteri, quæ nudâ voce fit, cum (a) Schönbornero præferimus. Plura de legum promulgatione lectu non injucunda videri possunt apud (b) Sanderson.

(w) Wurmser. l. c. exerc. 7. q. 14. p. 327. sq. (x) Conzenius l. c. c. 3. s. 1. p. 276. (y) Hornejus l. c. num. 17. p. m. 587. sq. (z) Pancirollus de reb. deperd. p. m. 370. (a) Schönborn. pol. l. 3. c. 4. p. m. 246. (b) Sanderson de obl. consc. prælect. 8. à num. 2. --- 9.

§. 46. Quod verò præter adducta à me requisita ad legis observationem necessaria, nonnulli ut [c] Becanus, [d] Bonacina populi consensum adjiciunt, id improbamus. Si enim Princeps invitum obligare potest, uti suprâ ostensum, certè de necessitate non erit, ut populus in legem consentiat. Excipio autem hîc statum Reipubl. popularem, ubi omnibus suffragii jus circa legum novarum sanctionem competit.

[c] Becanus Theol. Schol. part. 2. tr. 3. c. 6. [d] Bonacina disp. 1. q. 1. punct. 4. cit. Meldula l. c. disp. 2. q. 1. art. 2. num. 20.

§. 47. Modò itaque tria à nobis notata in Legibus Civilibus observentur, vim illis obligandi etiam in conscientia competere judico, illudque probo, quia Magistratus Vicarius Dei est, cui hic parendum esse præcepit. Cui autem tanquam Vicario suo Supremum Numen nos parere

parere voluit, ejus sanè leges necessarium est obligare conscientiam, non quidem directè & per se tanquam proprium illarum objectum, at tamen indirectè & respectivè ad actûs externos, ut principium earum. Atque ad hanc distinctionem fermè redeunt omnia, quæ ab Adversariis aliàs afferri solent & collecta sunt breviter à [e] B. Gerb. refutata autem uberius à Jesuita [f] Conzenio, qui Scarpium sibi Adversarium tum proposuit, ut & à [g] Sanderfonio.

[e] Gerbardus loc. cit. n. 267. p. m. 960. [f] Conzenius loc. cit. c. 8. p. 248. seqq. [g] Sanderfon l. c. prælect. 5. num. 37. seqq.

§. 48. Nobilis superest adhuc illa quæstio, an Legibus Civilibus sit obtemperandum cum vitæ periculo? de legibus bellicis res clara est. Videatur [h] Grotius. De Pacis tempore & legibus ejus communiter affirmandum non videtur, cum ne ipsæ quidem leges Naturæ, qualis est de reddendo deposito, semper cum vitæ periculo sint observandæ. Aliquando tamen fieri potest, si violatio nempe legis cum puræ religionis impedimento, Reipublicæ detrimento fuerit conjuncta. Salus enim Reipublicæ privata est proferenda. Vide hæc ulterius deducta à [i] Meisnero & [k] Gammaecho.

[h] Grotius de J. B. & P. l. 1. c. 4. §. 7. p. m. 86. [i] Meisn. l. c. quæst. 12. p. 316. seqq. [k] Gammaechus in 1. 2. quæst. 96. art. 4.

§. 49. Atque sic demum animis subditorum ad obediendum adstrictis ac refrenatâ hominum licentiâ feliciter procedit Actionum Civilium ordinatio & fruimur statu Spiritui Sancto maximè commendato, ut sub Magistratu Civili tranquillam degamus vitam in omni pietate & honestate, quæ sunt, & Legum Civilium & ipsarum obligationis desideratissimus

F I N I S.

Ad
Præstantiss. Dn. Respondent.
UNDè valor Legis, monstras; monstratqve vicissim
Te Tua Lex multùm mente valere Tuâ.

D. VAL. ALBERTI.

DUM nos ut stringat Civilis Lege Potestas
Vimqve ejus sanctam, DULCIS AMICE, doces.
Perge, inquit Sophie, sanctas venerari artes
Qveis laus se Studiis obligat ampla Tuis.

*Per-Eximio atq, Literatissimo suo Dn. Respond.
gratulabundus fecit*

PRÆSES.


VINCULA sint quænam LEGUM CIVILIA, docto
Moliri scripto, Fautor amande, vales.
Scilicet & mentem MORALIA VINCULA stringunt,
Virtutiqve penes Teq, inviolatus honor.
Felix conjugium, quo non datur aptius ullum,
Sic cum doctrinâ Te juvat esse pium.

*Paucula hæc doctissimo Dno. Respondenti, Amico
suo honorando, festinanti calamo scribebat*

M. C. S. B. S.








Leipzig, Diss., 1675 (1)

ULB Halle

3

004 581 636





TA → OL

f. nr 1 + 9 Stück verbunden

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Q. S. 1679, 17
18

POLITICA

ATIONE

VILIUM,

ilosophorum Ordinis

E Schindl

rginis Collegiatio,

LIPSIENSI

XIX. d. 31. Decembr.

OSTVVALDUS,

col. Studiosus.

ORELIANIS.

